

# BRABANTIA.

**B**RABANTIÆ Ducatus, Mosa, Scaldi, Sabi, & Tenera fluminibus ferè circum-  
scribitur, adeò vt nusquam hos fluuios transiliat, neque etiam vbique attingat,  
cùm cis Mosam Leodiensis Prouincia magnam huius tractus partem occupat.  
Habetque (vt plenius eius terminos describamus) Hollandiam & Geldriam à Septen-  
trione; Leodiensem Dioccesem ab Oriente; Namurci Comitatum, nec non Hanno-  
niam ad Meridiem respicit: Flandria illi ab Occidente est: Scaldi que fluuio ab ea ex  
parte dirimitur. Regio nobilis est & amœna. Gens hilaris, adeò vt vix grauem sen-  
ctutem sentire videatur; quæ res, ioco (quod Adagij vice vicinis in ore est) locum de-  
disse putamus, quo dicunt, Brabantus quò natu grandior hoc stultior. Aëris hîc ma-  
xima salubritas: nam grassante maxima sæuitia in circumiacentib. Regionibus pe-  
stilentia, Brabantos ab ea intactos mansisse, non semel magna cum admiratione ex-  
perti sumus. Continet hæc Regio Marchionatum Sacri Imperij (cuius Metropolis  
est Antuerpia;) Marchionatum à Bergis; Ducatum Arschotanium; Comitatum  
Hoochstratanum, & Megem, &c. Sunt in ea nemora & saltus; quorum quinque ma-  
ximè insignia vocantur vernaculè Soenien, septem miliarium ambitu Pagos & Mo-  
nasteria in se compræhendens; Grootenhout; Grootenheyft; Meerdael, & Zauen-  
terloo; quæ multiugis ferarum generibus abundant. Venatio & aucupium, si hæc  
quinque dicta nemora excipias, (quæ Principis priuatis voluptatibus inseruiunt)  
omnibus liberum est. In Brabantia maximi nominis vrbes sunt, ANTVERPIA  
ad Scaldim sita, Emporium non solum Germaniæ, sed totius Europæ celeberrimum.  
Vrbs, si quæ alia, aduersus hostiles impetus munitissima; & Turri Fano Diuæ Mariæ  
imposita ex candido Marmore miræ imò stupendæ altitudinis clara. Ædes Præto-  
rias magna impensa recenter extructas in ea videre licet, cuius in tota Europa vix si-  
miles reperias. BRUXELLÆ, Vrbs fontium perennium scaturigine nobilis.  
hîc Principis sedes est, eo que Aulicorum frequentia, Nobilium que virorum magnifi-  
centia spectabilem se reddit. LOVANIVM, amplissima Vrbs, hortos, vineta,  
pascua, intra mœnia claudit; Musarum domicilium propriè diceres. ob que id Acade-  
miam omnium scientiarum refertissimã ibi constituit Brabantiæ Dux Iohannes III.  
Anno .M. cccc. xxvi. Huius Territorij beneficio, hoc honoris Brabantiæ accedit,  
quòd de vindemia gloriari quoque potest. Sequitur MECHLINIA Concilio  
Regio (quod Parlamentum vocant) insignis, à Carolo Burgundo eiu. Duce institu-  
tum Anno Christi .M. cccc. lxxiii. Est & BVSCVMDVCIS, Vrbs minimè  
negligenda, Ludo Litterario excellens, & pugnaci populo quondam celeberrima  
Habet præterea plura non contemnenda Oppida, sed ea omnia hîc enarrare, non est  
nostri instituti. Sed apud Ludouici Guicciardini Germaniæ Inferioris Regionum  
descriptionem, ea omnia legere licet, imò oculis lustrari, tam diligenter ab eo descri-  
pta videntur. Huius Regionis incolæ olim fuerunt Aduatici. De quibus vide  
Ioannis Goropij Becani Becceselana. De Leodiensi Prouincia, quæ ferè  
integra in hac Tabula habetur, videatur opusculum Huberti  
Leodij, de Tungris & Eburonibus. Iacobus Lessa-  
bæus Hannoniam (cuius fines in hac Ta-  
bula videre licet) Commentariis  
illustrauit.





BRABANTIAE GERMANIAE INFERIORIS NOBILISSIMAE PROVINCIAE DESCRIPTIO.

Jacobus a Dauteriva auct.



EPISC.

COMIT. Florennes

N.A. Vallencourt

MURCI.

PARS

HANNONIAE

Finis

Scala miliarum Brabant.





